

ANDREA COLLI
(Università degli Studi di Trento)

**Dalla *creatura nobilissima* al *vir desideriorum*
Aristotele e la definizione di uomo nel *Commento alle Sentenze* di Bonaventura da Bagnoregio**

Sommario:

1. *Creatura nobilissima* o *animal nobilissimum*? Aristotele tra uomini, angeli e Dio
2. *Natura semper desiderat quod melius est.*
3. Per concludere: verso il *vir desideriorum*

Testi:

(A) Commentaria in quatuor libros Sententiarum Magistri Petri Lombardi, II, dist. 1, p. 2, art. 2, q. 2, in Bonaventura, Opera omnia, t. II, ed. PP. Collegii a S. Bonaventura, Roma 1885, p. 45, col. 1, ll. 12-16.

Item, spirituale, simpliciter loquendo, nobilius est corporali: ergo nobilius est illud quod pure est spiritus, nihil habens de corpore, quam quod est spirituale et coniunctum corpori: ergo nobilior angelica natura quam umana.

(B) Commentaria in quatuor libros Sententiarum Magistri Petri Lombardi, II, dist. 1, p. 2, art. 2, q. 2, p. 50, col. 2, ll. 5-27

Hoc enim, quod est animam uniri corpori humano sive vivificare corpus humanum, non dicit actum accidentalem nec dicit actum ignobilem: non accidentalem, quia ratione illius est anima forma substantialis; non ignobilem, quia ratione illius est anima nobilissima formarum omnium, et in anima stat appetitus totius naturae. Corpus enim humanum nobilissima complexione et organizatione, quae sit in natura, est organizatum et complexionatum; ideo non completur nec natum est compleri nisi nobilissima forma sive natura. Illud ergo, quo anima est unibili corpori, tale dicit quid essenziale recipiens, quod est nobilissimum in anima; et ita penes illud recte sumitur specifica differentia, secundum quam differt a natura angelica.

(C) Commentaria in quatuor libros Sententiarum Magistri Petri Lombardi, II, dist. 15, art. 1, q. 2, conclusio, p. 378, col. 2, ll. 5-16.

Hoc enim etsi habeat veritatem in spiritibus, quorum perfectio attenditur per accessum ad summe simplex; non tamen habet veritatem in corporibus, in quibus et magnificatur virtus ex partium magnitudine, sicut magis urit magnus ignis quam parvus; et plurificatur ex partium multiplicatione, sicut maioris virtutis est syrupus compositus quam liquor impermixtus. Et ideo homo, qui inter cetera animalia est perfectissimus, inter cetera est compositissimus, sicut planius videbitur inferius.

(D) *Quaestiones de mysterio Trinitatis*, q. III art. 1, in Bonaventura, Opera omnia, t. V, ed. PP. Collegii a S. Bonaventura, Roma 1885, p. 71, col. 2, ll. 28-42.

Ad illud quod obiicitur, quod quidquid nobilitatis est in creatura, attribuendum est Creatori; dicendum, quod est nobilitas simpliciter, et est nobilitas secundum quid. Illud autem, quod in creatura dicit nobilitatem simpliciter, proprie et vere attribuendum est creatrici essentiae; quod autem dicit nobilitatem cum diminutione, illud non convenit Deo attribui. Cum ergo dicitur, quod maior compositio in creatura facit ad perfectionem nobilitatis, sicut patet in homine; dicendum, quod ista est nobilitas diminuta, quae venit ex multorum aggregatione, quia quod non potest in se habere per unum habet per plura; et ideo talis nobilitas non est attribuenda divino esse, quod quidem est nobilissimum in fine nobilitatis perfectae.

(E) *Commentaria in quatuor libros Sententiarum Magistri Petri Lombardi*, II, dist. 14, pars 1, art. 1, q. 2, conclusio, p. 340, col. 2, l. 47-p. 341, col. 1, l. 4.

Praeterea, cum aliquid habet potestatem educendi multa, quae sunt in potentia in materia, esto quod sit ad illa indifferens, magis educit quod nobilius est. Natura enim semper desiderat quod melius est; et ideo, cum ignis sit nobilior, magis educit ignem.

(F) *Commentaria in quatuor libros Sententiarum Magistri Petri Lombardi*, II, dist. 15, art. 1, q. 2, conclusio, p. 378, col. 2, ll. 35-41.

Et per hoc patet responsio ad ultimum, quia similiter, quando fit commixtio elementorum, natura non facit ignem, qui sursum est, descendere, vel aërem; sed eum ignem, vel aërem, qui vel est in terra, vel generatur per actionem alicuius agentis, facit venire ad constitutionem animalis. Et hoc quidem fit per naturam, non per violentiam. Quia enim natura, secundum quod dicit Philosophus, semper desiderat quod melius est, materia, quae est sub forma elementari, appetit esse sub forma mixti, et quae est sub forma mixtionis appetit esse sub forma complexionis; ideo cum ex diversis elementis fit mixtio in unum, appetitus naturae completur, et violentia non infertur.

(G) *Commentaria in quatuor libros Sententiarum Magistri Petri Lombardi*, II, dist. 1, p. 2, art. 2, q. 2, in Bonaventura, p. 44, col. 2, ll. 29-40.

Quod obiicitur, quod ille finis est principalior, quem natura magis appetit; dicendum, quod est loqui de natura dupliciter: aut de natura ut deficiente, vel ut perfecta. Dico ergo, quod natura deficiens in se recurvatur; ideo proprium bonum desiderat, et ideo suum commodum. Natura vero perfecta amore caritatis sursum elevatur et multo magis impropotionaliter Dei gloriam desiderat quam utilitatem propriam; ut patet in habentibus caritatem. - Quod ergo dicitur, quod ille finis est principalior, quem natura magis desiderat; verum est de natura recta et perfecta.